

.xv.

OMELIA IN PURIFICATIONE SANCTAE MARIE .

Conueniendum est in unum nobis fratres karissimi . ad huius diei sollempnitatem quia hodie christus cum substantia nostre carnis in templo est dignatus presentari . sicut de eo scriptum est . Ecce uenit rex ad templum sanctum suum . qui est rex regum . et dominus dominantium . et conditor omnium creaturarum . Veneranda est quoque haec sanctae marie purificationis festiuitas ; que est exemplar . domina et regina omnium feminarum . cui nec ante inuenta est nec post similis ; nec de stirpe humane originis fuit ei æqualis . Quia ipsa meruit in utero concipere christum et generare mundi saluatorem . quem totus capere non poterat orbis terrarum . [ .ii. ] Ueneranda est igitur maria . que est uirgo uenerabilis . mater domini nostri iesu christi secundum carnem . ex semine abrahe . ex tribu iuda . et ex progenie dauid . filia hierusalem . stella maris . et inluminatrix orbis . ancilla dei . regina gentium . domina regum . sponsa domini . conditoris templum . spiritus sancti sacrarium . velut columba speciosa . pulchra ut luna . electa ut sol . reparatio uite . Ianua caeli . decus mulierum . caput uirginum . fructifera sicut oliua in domo dei . Virgo sancta . uirgo prudens . uirgo pulcherrima . uirgo pudica . corpore decora . fide perspicua . mente preclara . amore uirginitatis deuota a prophetis dei predicta . a philosophis sanctis prenuntiata . ab archangelo salutata . ab spiritu sancto fecundata . atque ab eodem obumbrata . [ .iii. ] Coitus uirilis ignara . prole tamen fecunda . Uiro /27v/ inuupta . et tamen filio leta ; fide concipiens . et mundi gaudium pariens . Uirgo ante partum . uirgo in partu .

uirgo post partum . et ad extremum quem totus  
non capit mundus . in suo sacro aluo haec uirgo inclu  
sit . Et qui mundum pugillo tenet . uirgo hęc pannis  
inuoluit . ác in presepio reclinauit . et qui presentia  
maiestatis suę in caelis angelos semper pascit ; Hęc  
uirgo sacra sacrati uberis lacte in terris nutriuit .  
Cuius arbitrio totus orbis terrarum regitur . et sub cuius  
defensione . omnia proteguntur regna terrarum ;  
cum quo filio suo mater maria uirgo semper manet .  
[.iiii.] Gaude igitur maria uirgo . felicissima ac sanctissima  
mulierum omnium . quia de tuo utero protulisti mun  
di saluatorem . caeli ác terrae conditorem . Gaude  
iterum maria . quę dum gabrielis archangeli dictis  
credidisti . deum nobis et hominem genuisti . et post par  
tum uirgo inuiolata permansisti . His autem de sanctę  
marię laudibus dictis ; de sancto symeone uenerabili  
sene commemorandum est nobis . qui et ipse diuino reple  
tus spiramine . expectabat uidere christum domini ; Sicut  
de illo scriptum est . Ecce homo erat in hierusalem .  
cui nomen symeon . et homo iste iustus et timoratus .  
expectabat . consolationem israel . et spiritus sanctus erat in eo .  
Et responsum acceperat ab spiritu sancto . non uisurum se mor  
tem . nisi prius uideret christum domini . Et uenit cum spiritu  
prophetię in templum . [.v.] Sciendum est ergo fratres karissimi .  
quod non solum ab angelis et prophetis . ác pastoribus .  
et parentibus . sed etiam a senioribus et iustis . genera  
/28r/tio domini accepit testimonium . Nam omnis aetas . et uterque  
sexus . euentorumque miracula . fidem credendi ge  
nerationem eius affirmant . Uirgo generat . id est  
maria . sterilis parit . id est elisabeth . Mutus loquitur .  
id est zacharias . elisabeth prophetat . Magi adorant .

utero inclusus exultat . id est iohannes . Uidua con  
fitetur . id est anna prophetissa ; iustus expectat .  
id est symeon . Bene autem dicitur iustus . quia non solum  
suam . sed populi gratiam a deo requirebat . Cupiebat  
quidem corpore . et uinculis suę fragilitatis absolui .  
sed deuotius expectabat uidere promissum dei . [.vi.] Cum  
ergo impleti essent dies purgationis eius secundum  
legem moysi . tulerunt parentes eius iesum in hierusalem  
ut sisterent eum domino sicut scriptum est in lege domini .  
quia omne masculinum adappariens uulnam . sanctum  
domino uocabitur . Consuetudo itaque erat . a circum  
cisionis die per .xxxiii. dies filium . autem per .xlvi. sepa  
rari a templo . Non quia ipse indignus purgari . in cuius  
conspectu cęli non sunt mundi . sed ut suo exemplo  
instrueret mundum . Et ut darent hostiam deo pro illo .  
secundum quod dictum est in lege domini . par turturum . aut duos  
pultos columbarum . Per turturum castitas et innocen  
tia designatur . Turtur enim post mortem sui con  
iugis . alterum non sectatur coniugem usque ad mor  
tem . et rubicundus colore . maie`sitate clamat . et  
raro inuenitur nidus eius . Hoc quidem significat .  
quia per castitatem spiritus sanctus in homine clamat . et uitam  
eius pre diabolo semper abscondit . quia iam conuer  
/28v/satio eius in caelis est . [.vii.] Et cum inducerent iesum parentes eius .  
ut facerent secundum consuetudinem legis pro eo . accepit eum sy  
meon in ulnas suas . et benedixit eum id est in confessione .  
Ipse enim deum confitetur . qui corde et ore et opere eum uene  
ratur et dixit . Nunc dimittis seruum tuum domine . secundum uerbum  
tuum in pace . Quia uiderunt oculi mei salutare tuum . quod  
preparasti ante faciem omnium populorum . Ac si dixisset .  
Dimitte me . quia tu es uere lumen . qui uenisti ad inluminandum

omnes gentes . et specialius . ad glorificandum populum israel .  
Erat autem pater eius et mater mirantes . super his quę di  
cebantur de illo . Et benedixit illis symeon . more angeli  
mariam benedicens . Benedicta tu inter mulieres .  
et benedictus fructus uentris tui . [.viii.] Per hoc quidem signi  
ficatur noua lege . uetus testamentum completur . et bene  
dicetur . Et ut perfecerunt omnia secundum legem domini . reuer  
si sunt in galileam . in ciuitatem suam nazareth . Puer autem  
crescebat et confortabatur plenus sapientia . et gratia dei  
erat in illo . Benedicamus ergo et nos domino fratres karissimi . idem .  
in ymnis et confessionibus . cupientes dissolui a corpore  
et a uinculis nostrę . fragilitatis et esse cum christo . Et iterum con  
fitemur pietatem dei omnipotentis . ex intimo cordis affectu .  
gratias ei referentes pro suis beneficiis . ut nobis hic et in futuro  
omnia bona largiter concedere dignetur ; Sequamurque  
eum rectis gressibus bonorum operum . quę nobis per se exemplis  
bonę uitę ostendit iesus christus . unigenitus eiusdem dei patris .  
qui cum eo semper . uiuit dominatur . et regnat deus . per omnia  
saecula seculorum Amen .